

Ecclesiae determinationibus, a Christo proposita leguntur. Ibi enim non tantum singula consilia substantialia suadentur, sed quandoque omnia simul, ita ut satis appareat Christum invitare ad quamdam vivendi rationem in qua simul exerceantur. Sic Matth. XIX, 21: " Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus... et veni, sequere me. ", Nam, ut loquitur Suar. (l. c. n. 5): " Expresse conjungit paupertatem cum oboedientia et necessario supponit castitatem, quia non posset quis sequi libere Christum obligatus uxori, nec etiam paupertas cum filiorum procreatione et obligatione quae inde nascitur bene conjungitur. ", Christum autem suadere ut horum consiliorum observantia voto perpetuo firmitur, sic probat S. Th. (2. 2. q. 186. a. 6): " Ad perfectionem vitae Dominus pertinere dixit quod aliquis eum sequatur, non qualitercumque, sed ut ulterius retro non abiret. Unde et ipse dicit Lucae IX, 62: Nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro aptus est regno Dei... Haec autem immobilitas sequelae Christi firmatur per votum. Et ideo votum requiritur ad perfectionem religionis. ", Si qua ex his elementis obscurius in S. Scriptura exhibentur, elucidatur eadem veritas ope traditionis, quam videsis expositam apud Suar. (l. c. n. 4) Hinc communiter existimant Theol. (S. Th. 2. 2. q. 88. a. 4; Suar. l. c. n. 9) Apostolos veros fuisse religiosos, votis substantialibus ligatos.

**SCHOLION.** Ut rite intellegantur ea quae hic dicuntur vel passim in documentis S. Sedis occurrunt, opportunum erit hic subijcere genuinum sensum quarumdam vocum quae saepius in hoc argumento usurpantur:

**Religio** designat institutum religiosum in quo vota sollemnia, saltem a potiore membrorum parte, emittuntur.

**Ordo** saepe in eodem sensu usurpatur ac Religio. Saepe etiam latiore sensu adhibetur ad designandam non tantum Religionem votorum sollemnium, sed quamcumque Congregationem, etiamsi status religiosi essentiam non habet.

**Congregatio religiosa** designat institutum in quo Ecclesia statum religiosum, sed sine votis sollemnibus, agnoscit. Attamen quandoque approbantur sub hoc nomine piaë sodalitates in quibus non emittitur vera professio votorum simplicium, ut S. C. Ep. et Reg. 11. Aug. 1889 declaravit de institutis quae, praeter sorores in communitate viventes, alias sorores habent propriis in domibus viventes, sine ullo signo externo, quo ut membra regularis Instituti agnoscantur, vel quorum membra, etiamsi in communitate vivant, nullum tamen Instituti sui signum prae se ferunt, quinimo student occultare tam Institutum suum quam ejus naturam. (Coll. P. F. n. 2159)

**Regulares** in sensu stricto sunt ii qui vota sollemnia Religionis

emiserunt vel in Soc. Jesu vota simplicia nuncuparunt. (ex Constit. citatis ad calcem n. 73) Probabilius eodem nomine veniunt qui in aliis Ordinibus vota simplicia sollemnibus praevia emiserunt, siquidem, haud secus ac praefata Soc. Jesu membra, in Ordine Regulari degunt cum iis omnibus condicionibus quae ad statum religiosum requiruntur. (n. 82) Attamen, cum de his quaestio agitata fuisset in Congr. super statu Regularium, 15 Junii 1856, decretum ita concinnatum fuit ut neutri opinioni praejudicium inferretur. (Coll. Bizz. nota ad p. 801)

**Religiosi** strictissimo sensu dicuntur soli Regulares; sensu minus stricto, etiam membra Congregationum votorum simplicium; tandem improprie etiam aliorum Institutorum sodales. Eandem triplicem significationem quoad mulieres habet vox **Moniales**.

## CAPUT II.

### DE RATIONE INEUNDI STATUS RELIGIOSI.

#### § I. DE VOCATIONE AD STATUM RELIGIOSUM.

**75. I.** Merito distinguitur a plerisque AA. recentioribus duplex vocatio ad statum religiosum: una, generalis; altera, specialis. Cfr. Damanet, *Manuel pour le choix d'un état de vie*, Ch. VI; Piat. Praelect. Juris Reg. t. I. p. 32 seqq.

**Generalis** vocatio sita est in invitatione quam Christus ad omnes fideles dirigit ut eum in via consiliorum sequantur. Nullum enim signum restrictionis est sive in ipsis consiliis proponendis, ut Matth. XIX, 21: " Si vis perfectus esse... ", sive in promissionibus factis iis qui ea amplexi fuerint, ut ib. v. 29: " Omnis qui reliquerit domum vel fratres aut sorores... propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit. "

**Specialis** seu proprie dicta vocatio consistit in manifestatione consilii quo Deus aliquem determinatum hominem ad statum perfectionis amplectendum invitat. Nam, ex ipsa natura sua, status religiosus continet exercitium virtutis perfectioris quam quae communiter a christianis requiritur, ac proinde in ordine divinae Providentiae non est ut omnes eum assumant. Quare Deus specialibus motibus gratiae suae aliquos tantum incitat ad statum hunc amplectendum: hi enim non solum, ut reliqui fideles, percipiunt illam vitae condicionem esse in seipsa praestantissimam et securissimam, sed insuper eam apprehendunt tamquam sibimetipsis speciatim convenientem ad salutem suam

securius et perfectius operandam, ac propterea, quamvis forsan naturaliter magnam repugnantiam adversus ejusdem status officia sentiant, supernaturali affectu in eundem feruntur. Hi praeterea supponendi sunt a divina Providentia in iis adjunctis collocati iisque corporis et animae dotibus praediti quae nullum obstaculum statui religioso amplectendo objiciant. Neque enim Deus supernaturalis gratiae motione incitaret ad capessendam consilium quod naturalis Providentiae ordo impediret. Quare, ut dictum est de vocatione ad statum clericalem (n. 24), qui, nullo hujusmodi impedimento, saltem perpetuo, irretitus, sentit se non tantum obiter, puta occasione exercitiorum spiritualium vel socii religionem capessentis, sed habitualiter inclinari ad statum religiosum amplectendum ob motivum supernaturale, puta securioris salutis, majoris boni animarum procurandi, etc., moraliter certus esse potest se a Deo ad hunc statum vocari. Hanc inclinationem vere e motivo supernaturali oriri, tanto facilius constabit quanto pauciora erunt incitamenta mere humana quibus aliquis ad Institutum, quod amplecti velit, alliciatur.

**76. II.** Non peccaret qui noviciatum ingrederetur vel ipsa vota religiosa emitteret, *existimans se non habere specialem vocationem* de qua modo dictum est. Supponitur idem agere ex recta intentione implendi omnes status religiosi obligationes, non autem cum proposito vitae tepide et otiose ducendae, vel ex fine inhonesto, puta vivendi e redditibus religionis quam ante vel post professionem relinquere intendat : quod manifeste injustum foret.

Hanc sententiam tenent S. Th. (2. 2. q. 189. a. 10) et multi alii quos enumerat et sequitur Piat. (op. cit. p. 35) Ratio est : omnes qui bona sunt voluntate obtinere posse a Deo gratias speciales quae ad vitam religiosam rite ducendam requiruntur. Nam Christus exhortationibus suis ad statum evangelicae perfectionis amplectendum nullam aliam condicionem apponit quam ut homo velit eum amplecti : quod clare indicat id esse in arbitrio uniuscujusque, auxilio gratiae adjuti. Ideo S. Th. (l. c.) concedit quidem deliberatione opus esse, ut determinetur modus religionem intrandi et specialis ordo quem quis ingredi debeat ; insuper eos qui novicium in religionem admittunt, debere probare utrum spiritu Dei ducatur an simulate accedat ; sed negat ei qui, nullo speciali impedimento detentus, ad religionem accedit, posse dubium esse an propositum de ingressu religionis in corde ejus a Spiritu Dei exortum sit. Specialim autem edicit nullum dubium esse num adfuturam sint gratiae in hoc statu requisitae, dum scribit : " Alio modo potest considerari religionis ingressus per comparisonem ad vires ejus qui est religionem ingressurus : et sic etiam non est locus dubitationi de ingressu reli-

gionis : quia illi qui religionem ingrediuntur, non confidunt in sua virtute se posse subsistere, sed auxilio virtutis divinae, secundum illud Isaiae (XL, 31) : " Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assumunt pennas sicut aquilae etc. "

Hinc videtur relinquenda sententia quorundam AA. praesertim recentiorum, qui contendunt graviter peccare eum qui statum religiosum sine vocatione speciali amplectatur : quamquam aliqui, ut Gury (II. n. 150), parum consequenter addunt excusari ab illa culpa eum qui voluntatem habeat obligationes assumpti status adimplendi. Nituntur praecipue necessitate specialium gratiarum quae requiruntur ut difficiles status religiosi obligationes adimpleantur : cui rationi satis responsum est in demonstratione sententiae nostrae. Provoquant quoque ad restrictiones a Christo positas, quibus putant manifestum fieri non omnibus dari auxilia necessaria ad consilia profitenda, ex. gr. Matth. XIX, 11 seqq : " Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est... Qui potest capere capiat. " sed frustra. Ut enim explicat ea verba S. Joann. Chrys. (Hom. 62. in Matth. n. 4.) : " Sic porro dixit ut ostenderet magno supernae gratiae auxilio opus habere eum qui hoc init certamen, quo plane fruitur quisquis voluerit. "

Verum quidem est in praxi hodierna solere peti aliquas probationes ante ingressum. Sed, ut recte notat Ball. P. (n. 219), ratio extrinseca est, tum quia solet levitatis argui qui a noviciatu in saeculum redit, ac propterea timendum est ne quidam inepti jam egredi non audeant, tum quia religioni minus commodum est ineptum novicium domi tenere suisque expensis alere.

Huic generali doctrinae duas animadversiones addemus :

1<sup>o</sup> Non peccaret graviter qui vellet religiosam professionem emittere, quamvis, durante noviciatu, passus esset frequentes lapsus carnis voluntarios. Proinde non posset confessarius eum sub poena negatae absolutionis obligare ad religionem relinquendam vel fragilitatem suam superiori manifestandam extra confessionem. (Lugo, Cons. Mor. l. 1. dub. 28) Nam frustra diceretur statum religiosum esse tali homini occasionem proximam peccandi, siquidem " hoc parum credibile est : nec facile sibi poenitens persuadebit, minorem se habiturum in saeculo occasionem peccandi contra castitatem quam in religione, praesertim si non possit sine magno incommodo uxorem ducere. " Nec posset confessarius ei in poenitentiam imponere ut religionem relinqueret. Nam potest " prudenter credere novicius sibi expedire magis ad salutem statum religiosum, in quo, transacta vehementia tentationis illius, facilius poterit resipiscere et corrigi, cum habeat optima sociorum exempla, disciplinae observantiam, exhortationes et alia ejusmodi media quibus in saeculo carebit. " (Lugo, l. c.) Quandoque tamen consuli poterit egressus

ei qui, ob vitia carnis vehementia, praevideatur vitam acturus molestissimam et multo magis ei de quo merito timeatur ne, peccatis cum complice patrat, scandalum Ordini et Ecclesiae valde nocivum praebet.

2<sup>o</sup> Si status religiosus esset simul clericalis, posset aliqua temeritas esse in eo qui, absque vocatione ad statum clericalem, in tali religione profiteretur. Cfr. dicta de hoc argumento n. 24 seqq., et nota facilius in hoc casu temeritatem a futuram esse quam si sacer ordo extra religionem susciperetur, eo quod status religiosus suppedital ampla praesidia ad gravia status clericalis onera ferenda.

**77. III.** Per se nullum peccatum est *neglegere vocationem ad statum religiosum* : nam ex ipsa natura consiliorum patet ea non obligare ad culpam. Attamen qui vocationem hanc certo cognitam omittat, vix poterit vitare culpam levem, tum ob motivum leviter malum quo fere semper ducetur, ex. gr. ob sensualitatem, acediam, etc., tum ob aliquale periculum cui salutem suam exponet, eligendo vitae statum contra divinum beneplacitum. Difficilior quaestio est num iste grave peccatum committat. Qua de re haec censemus veriora :

1<sup>o</sup> Is qui firmiter crederet fore ut, manens in saeculo, aeternam damnationem incurreret ob suam fragilitatem, quam inter saeculi occasiones expertus esset, et carentiam auxiliorum quae in religione haberet, graviter peccaret neglegendo hanc vocationem : nollet enim rem quam existimaret moraliter cum aeterna salute sua conjunctam. (S. Alph. l. 5. n. 78) Sed, nisi habeatur illustratio mentis prorsus extraordinaria, non putamus necessitatem alicui incumbere ut talem persuasionem servet. Nam, licet Deus ampliores gratias subtrahere soleat iis qui neglegunt oblatas, praesertim quando istae sunt valde eximiae et in universam vitam profuturae, pergunt tamen semper dare eas quae necessariae sunt (n. 25) : unde semper poterit homo sibi probabiliter persuadere se etiam in saeculo salutem consecuturum esse, quamvis forte saepe in peccata gravia lapsurus sit. Deinde, etsi conscientia nobis dictare videatur nos a Deo desertum iri et perituros esse, nisi ejus vocationi obtemperemus, difficilimum est discernere utrum haec sit vera inspiratio divina an inanis timidae conscientiae apprehensio : nam tale iudicium prorsus praetergreditur ordinaria conscientiae dictamina de liceitate vel illiceitate actionum nostrarum. Adde eos qui ita fragilitatem suam experti sint in re venerea (nam de his potissimum quaestio poni poterit), merito dubitare posse num castitati religiosae servandae apti sint ; proinde, si praevident in ipsa religione multos lapsus hujusmodi, jam status ille non videtur illis tam securus ut moraliter cum eorum salute conexus sit.

2<sup>o</sup> Si quis existimaret se, manendo in saeculo, ad salutem quidem pervenire posse, sed majori difficultate quam si religionem ingrederetur,

is probabilis non peccaret graviter omittendo vocationem religiosam. Nemo enim tenetur ad salutem suam tutissima via prosequendam, dummodo non omittat ea quae moraliter cum ea conexa esse novit : quod in casu nostro certo non obtinet.

Multi tamen AA. recentiores id de peccato mortali damnant. (Dama-net, op. cit. p. 248) ; Malou, *Règles pour le choix d'un état de vie*, p. 189, etc.) S. Alph. (l. c.) dicit se in hoc puncto absolutum iudicium proferre nolle : quod satis indicat deesse illam evidentem rationem, sine qua peccatum mortale periculosissime adstruitur. (Vol. I. n. 153)

Reapse nutant duo argumenta quae afferri solent. Alterum desumitur ex verbis S. Gregorii Magni scribentis ad Mauritium Imperatorem, qui prohibuerat ne milites vitam religiosam amplecterentur : “ Plerique sunt qui, nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possunt. ” Nam aliud est reapse multos damnatum iri quia religionem non ingrediuntur, aliud, hanc connexionem alicui cum morali certitudine de seipso manifestam esse : quod hic requireretur. Aliter omnino haec verba intellexit Lugo (de Poenit. disp. 15. n. 50), qui prorsus rejicit conclusionem quam recentiores ex his deducunt : “ Licet S. Greg. dixerit multos esse qui, nisi fiant religiosi, salvi esse non possunt, h. e. sine magna difficultate..., non tamen ideo quisquam eos ad religionis statum sub mortali obligabit : hic enim status continet multa et difficillima. ”

Alterum argumentum est : quia talis homo non habebit congrua gratiae auxilia quae in religione Deus ipsi praeparavit ; et ideo illis destitutus, difficulter saeculi tentationibus resistet et sic succumbens damnationem incurreret. Sed, quamvis non sit consecuturus seriem specialium gratiarum quas Deus ipsi destinaverat ad sancte vivendum in statu religioso, non privabitur gratiis necessariis, neque, si oraverit, etiam efficacibus ad vitam christiane in saeculo ducendam : quod ipsius saluti sufficit.

## § 2. DE INGRESSU IN RELIGIONEM.

**78. I.** Religionem ingredi potest quicumque jure non prohibetur, ut habet communis sententia Canonistarum. (Schmalzgr. in l. 3. Decr. t. 31. n. 23) Abstrahendo autem ab impedimentis quae in particularibus Ordinum constitutionibus ponuntur, jure communi a religione ingredienda prohibentur :

1<sup>o</sup> Episcopi, etiam tantum confirmati vel mere titulares, nisi cum R. P. consensu, propter vinculum quo cum ecclesia sua conectuntur (Decr. t. cit. c. 18). Non prohibentur vero sacerdotes, etiam curam animarum gerentes, nisi obstet peculiare pactum, ex. gr. serviendi alicui dioecesi, saltem per aliquot annos, vel nisi grave damnum e discessu

hujus sacerdotis ecclesiae particulari oriretur : qui posterior casus non facile continget, ut probat Bened. XIV in egregiis Litteris *Ex quo dilectus* (14 Jan. 1747), quibus hanc libertatem clericis vindicavit. Igitur " nemo dubitat quin presbyter ecclesiae regimen aut ministerium dimisurus, ante omnia debeat episcopo consilium suum ejusque capiendi rationes, quantum earum natura fert, aperire. In quo non tam officio et honestati quam naturalis legis praecepto satisfacit. „ At, si petitam facultatem negat episcopus, " hujusmodi dissensus... presbyterum non adstringet quominus religionem ingredi valeat. „ (Bened. XIV, l. c.)

3<sup>o</sup> Qui, post dilapidatam rem familiarem, ingentem aeris alieni vim contrahunt. Ita statuit Sixtus V (Const. *Cum de omnibus*, 26 Nov. 1587), qui talium admissionem et professionem etiam irritavit : quam tamen irritationem sustulit Clemens VIII. (Const. *In suprema*, 2 Junii 1602) Licet ingressus si debitores sine gravi culpa sua ad impotentiam solvendi devenerunt, quia Sixtus V de dilapidantibus tantum agit ; vel si creditores consentiunt, quia scienti et volenti non fit injuria ; vel si nulla spes probabilis est debitorem remanendo in saeculo habiturum esse unde creditoribus satisfaciatur. (Schmalzgr. l. c. n. 35) Quodsi quaestio de solo jure naturali ponatur, ut in plerisque debitoribus fiet, S. Alph. (n. 71) censet debitorem teneri ad differendum ingressum suum ad breve tempus, puta ad biennium, si probabiliter industria sua sine magna difficultate lucrari possit unde creditoribus satisfaciatur, neque ex illa mora oriatur probabile periculum incidendi in peccata gravia vel amittendae vocationis. Sed probabilis quoque est sententia S. Thomae (2. 2. q. 189. a. 6) ingressum absolute licere debitori, quia persona ejus non obligatur propter pecuniam, sed ejus res, ac proinde non tenetur in saeculo manere ut procuret unde debitum reddat.

3<sup>o</sup> Obnoxii reddendis rationibus propter administrationem publicam vel privatam, puta tutores, executores testamentorum. Constat ex iisdem Const. Sixti V et Clementis VIII. Id tamen restringendum est ad rationes valde litigiosas, intricatas, fraudulentas, daturas causam litibus. (S. Alph. n. 71)

4<sup>o</sup> Criminosi quibus timetur poena qua infames reddantur, non autem occulti. (ex iisdem Const.)

5<sup>o</sup> Hi quorum parentes versantur in extrema vel gravi necessitate : nam ad sequenda consilia non est violandum praeceptum quo tenentur liberi ad subveniendum parentibus in magna necessitate constitutis. (S. Th. 2. 2. q. 189. a. 6 ; S. Alph. n. 66) Idem dicendum de parentibus quorum cura filiis educandis adhuc necessaria sit. Fratres vero aut sorores deserere non licet in extrema necessitate seu cum nullatenus, absque auxilio illius qui religionem ingredi vellet, ali possent ; licet vero, ubi versantur in necessitate gravi, quia multo minor est obligatio erga fratres quam erga parentes. (S. Alph. n. 70)

Affinis quaestio est num religiosus jam professus teneatur e monasterio ad tempus exire si parentes ejus in necessitate versentur, neque aliud medium suppetat eos juvandi. Respondendum censemus cum S. Alph. (n. 67) probabilius filium non teneri, nec posse egredi sine licentia ; teneri tamen, salva sui praelati oboedientia et suae religionis statu, media adhibere quibus ejus parentibus subveniatur. Nam " qui jam est in religione professus, reputatur jam quasi mortuus mundo ; unde non debet, occasione sustentationis parentum, exire e claustris. „ (2. 2. q. 101. a. 4) Probabile tamen est eum posse egredi si necessitas parentum professionem filii praecessit, quia obligatio jam contracta nequit extinguere per professionem quae cum injuria parentum emissa est. (S. Alph. l. c. ; Ball. P. n. 195) In necessitate vero extrema certo tenetur filius ad egrediendum, dummodo necessitas sit evidens : in dubio enim praelato licentiam neganti parendum esset. Ratio est : praeceptum juris naturae et divini in tanta necessitate praeminere omni voto et vinculo. Ceteroquin egressus ille ad tempus non destruit professionem, sed tantum aliquos ejus effectus suspendit : quod ob plures alias rationes fieri contingit. Id tamen non est extendendum ad extremam necessitatem fratrum vel sororum : quibus numquam tenetur frater subvenire plus quam proprius status permittat. (Ball. P. n. 196)

Omitteremus hic prohibitionem e servitute ortam, utpote obsoletam, et eam quae e statu conjugali oritur, de qua dicitur n. 555. Notandum quoque nullo jure hodie vigente prohiberi illegitimos quominus religionem ingrediantur, sed sufficere ut diligenter inquiratur num merita eorum personalia maculam originis operiant ita ut eorum admissio sit profutura religioni. (Piat. op. cit. t. I. p. 78 seqq.)

79. II. Liberi religionem ingredi possunt absque licentia parentum : nam status electio neque ad educationem, neque ad domesticam disciplinam pertinet, ideoque versatur extra materiam in qua filii parentibus oboedire debent. Cfr. Vol. I. n. 348. Attamen reverentia parentibus debita postulat ut eorum consensus petatur si facile et tuto obtineri possit, praesertim quando liberi nondum a patria potestate emancipati sunt. Ubi vero probabile est periculum ne parentes consulti impedimenta vocationi ponant vel liberos ab ea avertere conentur, non tantum licet, sed valde laudabile est religionem, insciis parentibus, ingredi. (S. Alph. n. 68)

III. Graviter peccat qui alium vi, fraude aut metu gravi a statu religioso avertit. Omnes enim jus strictum habent ne a religione amplectenda impediatur ; cum autem hic de re summi momenti agatur, qui alium injuste prohibet, gravem injuriam infert ideoque

mortaliter peccat. Id confirmatur ex anathemate quo Trid. (Sess. 25. de Reg. c. 18) perculit eos qui quoquo modo feminas a religione ingredienda sine justa causa impediunt. Cfr. n. 611, XI. Et merito advertit Ball. P. (n. 201) consilia parentum conantium a religione avertere adulescentes, in minore adhuc aetate constitutos, aegre in praxi immunia esse ab aliqua specie deceptionis: tales enim adulescentuli crebro inepti sunt ad vitium argumentorum detegendum.

Seclusa vi vel fraude, graviter non jam contra justitiam, sed contra caritatem peccant qui alios a religione amplectenda avertunt. Ita sentit S. Alph. (n. 77), neque videtur contrarius Suarezius, quem S. Doctor tamquam sibi aliquatenus adversantem citat: quippe qui, quamvis id generatim a gravi culpa excuset, addit (de Relig. tr. 7. l. 5. c. 9. n. 9): "Licet in hoc peccato non sit injustitia, tamen saepe contra caritatem potest esse malitia gravis, praesertim si preces seu inductio nimis sint importunae et contra Spiritus Sancti vocationem moraliter certam et absque ullo rationabili titulo et causa." Neque enim putandi sunt reliqui DD. grave peccatum reperisse in iis consiliis, nisi cum tres illae condiciones adsint. Augetur haec culpa in parentibus, qui ex pietate graviter obligantur ad spirituale bonum liberorum suorum procurandum, et in confessariis, quos poenitentes de sua vocatione consulunt; immo isti veram injuriam inferrent, siquidem "qui accepit consilium munus, eo ipso veluti ex quodam tacito pacto obligatur ad consilium fideliter praestandum." (Suar. l. c. n. 8) Saepe tamen parentes ex inadvertentia et caeci amoris impetu practice a gravi reatu excusantur.

Nec sunt culpandi parentes qui rationabiliter de vocatione liberorum suorum dubitantes, puta ob indolem levem, aliquod experimentum instituunt quo veritas clarius appareat, usi jure quod lex civilis ipsis in filios minores concedere solet. Sed graviter peccare possent qui ad voluntatem liberorum explorandam eos mundanis periculis exponerent, quasi vocatio quae a Deo venit certe omne periculum evasura esset. (Ball. P. n. 198; Damanet, op. cit. c. 13) Ex altera parte, dubium non est quin graviter peccet qui aliquem cogit ad monasterium ingrediendum vel professionem emittendam. Ratio patet: gravis injuria alienae libertati infertur. Cfr. n. 611, X, anathema quo Trid. (l. c.) perculit eos qui mulieres invitas in monasterium detrudunt.

80. VI. Hodie, ex decreto a Pio IX per S. C. super statu Regularium edito 25 Jan. 1848 (Coll. P. F. n. 416), nemo admitti potest ad habitum seu ad noviciatum inchoandum sine testimonialibus litteris tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci in quo postulans post expletum decimum quintum annum aetatis suae ultra annum moratus fuerit. Decretum istud pertinet ad quoslibet Ordines, Congregationes vel domos in quibus

vota emittantur, etiam mere simplicia. Hae tamen litterae testimoniales, ut eadem S. Congr. declaravit 1 Maii 1851 (Coll. Bizz. p. 891), requiruntur ad liceitatem, non autem ad valorem susceptionis habitus et professionis. Pariter ab eadem S. C. 25 Febr. 1863 declaratum est, litteras illas non esse necessarias ad admissionem monialium. His satis providerat Trid. (Sess. 25. de Reg. c. 17), dum statuit puellas ab episcopo per se vel alium a se deputatum examinandas esse, tum antequam habitum suscipiant, tum antequam professionem emittant. Exigenda jam nunc sunt a postulantis testimonium baptismi et confirmationis, testimonium bonorum morum, testimonium status liberi nisi de eo certo constet aliter. (Normae recentes de Inst. vot. simpl. 28 Jun. 1901)

## CAPUT III.

## DE NOVICIATU ET PROFESSIONE RELIGIOSA.

81. I. Professioni praemittendus est, sub poena nullitatis, noviciatus unius anni integri et continui. (Trid. Sess. 25. de Reg. c. 15) De quo pauca breviter notabimus:

1° Annus noviciatus non tantum moraliter, sed mathematice seu de momento ad momentum completus sit oportet.

2° Interrumpitur annus noviciatus, ideoque totus iterum inchoandus est, si novicius e conventu exit cum animo deliberato hanc religionem deserendi, etiamsi aliam ingredi velit; — si per longum tempus extra monasterium, sine superiorum licentia, permanet, quamvis forte habitum retinuerit; — si novicius dimittitur, et, habitu spoliatus, monasterio jam egressus est. (Piat. Prael. J. Reg. I. p. 97 seqq.) (1)

3° Noviciatus, in Ordinibus qui proprium habitum habent, incipit a momento quo habitus induitur et totus in eodem peragendus est. Deducitur ex Trid. (l. c.): "Nec qui minore tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit ad professionem admittatur."

4° Licet plures AA. requirant ad valorem professionis ut noviciatus peractus fuerit in domo quae a S. Sede tamquam probationis domus designata sit (Coll. Bizz. p. 311 seqq.), alii tamen quos enumerat et sequitur Piat. (op. cit. p. 107) opinantur, ob rationes valde probabiles, hanc condicionem requiri tantum pro Italia et insulis adjacentibus. Ipse

(1) Secundum plures praxis severior usu valuit quantum attinet ad Instituta votorum simplicium, ita ut, si quis, etiam annuente Praelato, unam diem afuisset, interrumpetur noviciatus. (Cfr. Battandier, Guide canonique)